ORATIO FVNEBRIS IN DEPOSITIONE CORPORIS

ILLVSTRISSIMI DOMINI,

D. STANISLAI LVBOMIRSKI,

COMITIS IN WISNICZ,

PALATINI CRACOVIEN:

Zathorień: Szczepusień: Niepołomiceń: &c. &c.

CAPITANEI;

Per STANISLAVM DROZDOWSKI *Studiosum Eloquentiæ,*

EDITA.

CRAC. *In Officina Viduæ & Hæredum Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini* 1649.



Hic bene Lechiacas Ganges dictabat arenas,
Traximus vnde bonos, aurea sæcla dies.
Hæc vada detinuêre Getas quietisque Polonæ:
Fluctibus enarrant, nomen in axe suum.
Clarum nomen erit LVBOMIRSKI patria clarus,
Hoc Gentes fluidis clarificauit aquis.

ILLVSTRIBVS AC MAGNIFICIS
DOMINIS, DOMINIS,
COMITIBVS IN WISNICZ,
ALEXANDRO LVBOMIRSKI
SVPREMO STABVLI REGNI PRÆFECTO,
Sandomirień: Zatorień: Niepołomiceń: &c. &c.
CAPITANEO,
GEORGIO LVBOMIRSKI,
GENERALI MINORIS POLONIÆ,
Cracouień: Chmielniceń: Scepuſień: &c. &c.
CAPITANEO,
Tum
CONSTANTINO LVBOMIR-
SKI, Sandecenſi, Białocierkwienſi, &c. &c.
CAPITANEO,
Dominis, Dominis, ac Patronis Colendiſſimis.

P*Erexigui fateor eſt hic momenti labor meus,* ILLVSTRES *ac* MAGNIFICI DOMINI, *Veſtræ gloriæ, quæ Sapiente teſte, Parens eſt filiorum,*

 hoc tem-

c temporis ſpatio ad poli credo oras tranſſumptæ, ec non & terris relictæ, ſic eximias breuibus recen- ris laudes (vt non rem Ingenio rei at ingenium efuiſſe arbitremini) Veſtræ admirandæ excellentiæ, xcellenti præſtantiæ, præſtanti nobilitati, obſtricto è pe- ctore, dicatus, litatus, ac conſecratus. Quem, vt magna ſum in ſpe, obſidem atq; vadem, propenſi mei in Vos, innato ſingularis decore humanitatis experto, multoties à me, ſpectatiſsimos ſtudij, quod Interpres mentis depingit vultus, fore; Cùm ſit proprium Vobis haud quid, verum quo illud offeratur attende- re animo; laboris in præſentis mei dicatione eſt qui mihi maximus. Quapropter illum quo offertur ani- mo accipite, tanquam erga Vos animi mei ſignum, meq; vt hâctenus, ſic in poſterum, ſua proſequamini beneuolentia, cui me commendo, Numen Ter Opt: Max: vt Vos ad totius Reipubl: gloriam quam diu- tiſsimè ſeruet incolumes, orans.

Obſeruantiſsimus ſemper

Cliens,

Staniſlaus Drozdowski,
Stud: Eloquentiæ.

ORATIO FVNEBRIS.

DIfficili plerumq; freno conceptus ſemel corde ſolet hoc contineri dolor, quod exiguus putetur ni lumine ſe aut ore prodat; quod & hâc atro æquè ſignandâ luce lapillo nobis contigit, mærorem vt animis inſidentem, quem ex amiſſo hocce temporis interuallo pignore attraximus certiſſimo, intra penetralia pectoris comprimere vltro nequeamus, quin illum prodigo reſeratæ mentis effundimus ſinu: lugentes atque quidem merito lugentes iure, Vos titulis Præſides veſtris Nobiliſſimi, optimum affectu Patrem veſtrum, cura qui Vos, labore ac aſſiduitate, nec non vigilantia ſua incredibili aluit, fouit ac conſeruauit: amore Patronum ego, illius qui ſumptibus hoc vſque ad temporis interuallum literis dedi: omnes denique omnia cunctis factum, ſublatum mortiferi vi morbi, quem, quàm diutiſſimè non nobis ipſis ſolum, at & Reipublicæ optabamus victurum. Currunt vndantes riui lachrymis

de lumine, guttamque volantem gutta sequitur, ruit, properat, premiturque, premitque vicissim; sub imo Suspiria inferuent corde, tristesué cient super æthera luctus, atque lugubres eiulantium voces, suam ipsorum miserantium sortem, audiuntur, nec obscuris, magnis sed, oculis in omnium ingenti à dolore merita ingentia inscripta characteribus leguntur, nullis huius indigentes testibus qui ipsi exemplo sine dolemus, eo ipso altius maiori quod iudicio casum hunc dolemus tam acerbum. Quem vt etsi non sanare, vtcunq; tamen leuare inusitatum queam dolorem, haud mortuum ostendam illum; cui dum me accingo Vestri aura fauoris suauiter obsecro speret mihi, tantoué sis Latinitatis decus micantissimum veniâ in concedenda benignius, quantò videtur mentis meæ acies tenuior, docendorum series cumulatior, docendi Stylus humilior. Acta ad miraculum rara, admiranda ad exemplum, singularis ad encomium, eius vita, speculum meo nobilissimum est vt puto consono veritati prolato: eo cùm nobis ipsis Sarmatico tum Orbi victurus perpetuò. Si nam illud virtutis est robur, vt etiam nullo vnquam spatio quos vidimus temporis admirari, amare, diligere, colere, venerari, atque imitari nos faciat; quomodo haud tantum natali notissimus solo, verum etiam

vniuer-

vniuerſo terrarum orbi induſtriæ ac laboris ſpeculum, incomparabilis ornamentum eruditionis, cunctarum & virtutum haud exemplar erit? deſinamus funeſtis animum curis neque non vano vexare metu. Viuit & tantò gloriosius viuit, quantò magnificentius piam illam animam ſuprema in Beatorum illa ſede æternis Beata ſideribus, lumine felici ac felicitate feliciſſima, commemorabilis pietas, ſtudium Religionis inauditum adornant, condecorant, illuſtrant. Amiſſum ne credamus vnicum delicium noſtrum, virtutes enim eius æternæ quæ illius Beatitudini præludebant, ac hic domicilium animæ eius magnæ illuſtrabant, viuam tantum ſpeciem oculis cunctorum noſtrum ſubtraxêre, ipſæ verò nequaquam poterunt experiri mortalitatem, quorum ergo & ipſe ore in mortalium perennem aget vitam. Atque hinc lætandum magis eſt nobis quod eum habuerimus, dolendum quàm quod eum amiſerimus: illud nam gratuitum Numinis erat donum, hoc verò eſt debitum, ſi præſenti dono Dei vt ſingulari vſi beneficio ſumus, haud ereptum nobis, repetitum at illum, ab authore iudicabimus; nec tamen amiſimus eum per hoc, cùm nobis ſit quod imitemur in eo perpetuo. De quo quid dicam primo aut præteriero? vultu comprehen-

prehen-

prehendere iubet dolor omnia, è diuerso dicendi copia ordinem expostulat. At quis insumi ordo possit ea in re, in qua omnia est videre acerba, tristia, confusa, fletu, luctu, lachrymis referta? ignoramus an forsan affectam mentem sicut sibi ipsi non consistit ita variare omnia, alternare, miscere consueuisse? cæterum pars vt prior ei, res de quo nobis est tribuatur, amor partim, partim quiscunque efflagitat ordo. In quo haud absurdè facturus videbor, generis si nobilitatem prætermisero, quæ si vllis vnquam summis fuit splendida viris? illi splendidissima censeri debebit iure. Quam præter, fuêre illi excellentiora quædam nec non sibi propria, quibus ad hoc dignitatis culmen, in quo tanquam quoddam sublime & luculentissimum resplendebat sidus sese extulerat, gloriamque; quæ apud nullam posteritatem est vnquam interitura, suis ipse virtutibus, laboribus suis, suis studijs, suâ denique vitâ probatissima, sibimet comparauit. Credo equidem in puero etiam illi tenerisue in annis, intra penetralia pectoris Salustij illud Vestris auribus haud indignissimum inhæsisse assertum. Fortunæ ac cunctorum bonorum temporalium fluxam esse gloriam, æternam verò haberi virtutis quæ illi quendam velut stimulum adhibuit, vt ad

stabilia

ſtabilia ac optima quæque contenderet, & néc ſuo fru-ſtratus remanſit conamine: cùm ſic exuberanter quicquid virtutis ſparſim eſt, conſecutus eſſet, in Orationis vt curſu ſubdubitem à qua mihi ſit auſpicandum. Vetuſta Scriptorum authoritas, ac Claſſicus Hiſtoriarum Chronigraphus, quoties Illuſtrium virtutes commemorat virorum, priſcos Reges, Principes Magnificos, Duces virtute plurimâ & militari inſignes diſciplinâ, necnon multos alios in quibus facinoris aliqua fama eſt comperta, afferre habet moris. Laudat in eis benignitatem, ſanctitatem approbat, extollit magnitudinem animi, probitatem, virtutumque multiforme exercitium in eis primum prædicat. At hos æquali iſte virtutum inſignio haud æquauit tantum, verum & ſupergreſſus longe eſt vniuerſos. Conſerto cuius choro virtutum, quo vndique ſtipatus incedebat, præſente Ampliſſima hac Veſtra, Magnifico præſtantis ingenij, doctrinæ ſingularis, variæ cum rerum tum verborum ſuppellectilis apparatu, Illuſtrium corona, eximijs decorando laudibus, ſummis extollendo titulis, Diuinis celebrando panægyricis, vtinam ornatior, dicendi vbertate atque copia, ſententiarum pendere atque pretio, acuminum præſtantia atque valore, vocem ſuam aliquis conſecraſſet Orator. Communi mihi namque

hoc Vobiſcum dolore ad ſtuporem confuſo, qui dicendi ornatus? copia verborum quæ? quæ poteſt ingenij adeſſe vis obſecro? ni quia & Vos quoque peracerbo in luctu, exquiſitam verborum haud pompam quæritis, & neque tam perfectum ac conſummatum dari poſſe quem Oratorem, euocata etiam ipſa è antiquitate vnà mecum creditis, cui tanta ingenij dexteritas, tam mellita facundia, tantum dicendi flumen affluat, ſuâ qui Oratione quantumuis copioſâ & ornatâ, ad gloriam, faſtos æternitatis, Hiſtoriarum volumina, promouendas illius virtutes, vt par eſt conſequatur, in quibus non exornandis vel illuſtrandis dicam, at & vix attingendis Eloquentiſſimus quiſq; minus ſe fateretur eloquentem. Iure nec non merito: quid enim haud ſummo in eo præconio dignum? quid eximia haud indignum laude? imò quid non Diuinum? Religionis ſumma ſemper illi ratio fuit ac authoritas, ipſâ templorum teſte ædificatione, largitione eleemoſynarum, orationum frequentiâ, vtque multa complectar paucis, ipſis beneficijs, tot clientibus, tot Sacerdotibus, tot Religioſis, tot Monialibus, & ex omni ordine & conditione mortalibus, idipſum teſtantibus, præſtitis innumeris, amoris Dei ergo. In augmentum fidei eius ita feruidus, vt per omnes vitæ ſuæ dies, nihil tam mente

verſa-

versaret, quam quo pacto pacatis inter se Principum simultatibus inimici Christi Turcæ profligarentur, quos suo periculo parua manu equidem, at ingenti animo prosternebat adeò, vt dum faciem induisset Martis, ex ipso aspectu territus hostis eum sui agnosceret victorem. Et ratus tergo pugnare quàm ferro, pede pedem in pauidam propelleret fugam, vt sic ei satis fuerit, vel animosam opponere frontem. Sed non poterat ita euadere, quin succensâ manu fugientis promeret dorsum, & Nobili suo ferro in illius ceruice lethales duceret lineas; nam magnum pectus vbi semel arserit, non mitescit, at Martios exurit in ignes. Et quidem hoc debebatur virtuti illius vt fætum produceret inuicti roboris, quo altior factus intra hostium secures audacem confunderet ictum, sperneret atque minas, illâue ingenti famâ, noua nomini addiceretur moles, quam æmula miraretur posteritas. Sciebat quippe proceras mentes non captare sed mæreri gloriam, nec otio acquirere, sed liberali in Patriæ decus sudore, ac excelsi robustâ cruoris profusione. Cui adest illius haud enarrabilis, solum in natale amor, meridianâ luce clarior, in consilijs, rebus indifficilibus datis, quibus sine nulla diu subsistit Respublica: & hæc sic cumulatim in eo contemplari licuit, vt quod in hoc maximum habe-

 tur,

tur, omnium gerendarum rerum velut quidam Diuinus vates, & initia, & exitus, multo antequam euenerint, perſpiceret quam ſagaciſſimè. Ob quod illi prodigo mentis ſinu, immortalis teſtimonij appendit Reſpublica penſum, concordi cum omnium Procerum ſuffragio, vnum illum voluit, qui theatro Sarmatiæ, ſapientiæ præluceret ſplendore. Id enim proprium virtutis eſt, plures ad vnius nexum conuenire laudes, & quidem glorioſius nemo dignitatem quam ſapientiâ obtinet, purpurauè illi maximè decora, cui plurimum rubet profundæ rationis colore, quod in hoc manifeſtè patuit, quia ſapientiæ illius magnitudo, inter anguſtos communitatis cancellos concludi non poterat; debuit in totius Reipublicæ ornamenta ſeſe diffundere; nempe vt maximorum eſt fortunam tenuiſſe præ alijs, ſic optimorum deriuare in alios. Quapropter dudum ales Sarmaticus ſuſpexit illum virum & coluit, vt in quo Regno fortunas, paciſque trophæa, ad laudis & gloriæ adultam reponeret meſſem. Ille teſtis quoties mellitâ facundiâ hic ſuo, duriſſima mortalium pectora velut quondam Orpheus ſuam in ſententiam traxit, quot diſcordias, quot Magnatum odia, quot diremit ſimultates. Ipſe Apollinis oraculo id verius eſſe declarauit, quod quondam vſurpatum eſt ab Eloquentiæ parente:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Cùm consultando tàm priuatis quàm publicis i[n] rebus, plus pro decore Patriæ laborauit quam ali[-] us quispiam. De liberalitate verò ac munificentia illiu[s] quid dixero? quæ in eo sibi domicilium, sedesque per[-] petuas locasse putari potest. Laudatur plurimum Cy[-] rus, laudantur & alij ob hanc vel solam virtutem, ille hoc in genere laudis tantum cæteris præcelluit, quan-tũ inter dumeta pinus & antecitos Pegasus ibat equos: hoc sibi tanquam peculiare cæteros Magnates inter vendicans, quod à Tito sæpè repetitum aiunt, ad eum qui dominatur multis attinere, ne quemquam à se tri-stem mæstumuè abire sinat. quo sibi non amorem mo-do omnium, ac quemuis cum eo cultum, sed tantam quoque populorum accendit fiduciam, vt ad eum, ad Asylum veluti veniret oppressus, patronum eum suum innocens, virtutis promotorem bonus, egenus necessi-tatis subleuatorem, miseriæque consolatorem afflictus appellans, omnes verò, Sarmatici istius delicium orbis, non vanis indigitantes titulis. Ac ecquid moror? quid solem mundi oculum nec non lucis parentem illumino? claritati longè latèq; radios spargenti mortales adstruo faces? quid vel luces splendori debiles, vel fucatos pul-chritudini appono colores? quasi enim hac ex nobilissi-ma omnium corona vestrum dubitaret quispiam tan-

 tum il-

ſum illum in cunctis abundaſſe, quantum nemo aut ingenioſus ſua cogitatione fingere, aut cupidiſſimus incitate volũtate fuiſſet optare auſus. Verum ſit qui dubitet, certè omnem illius vitam, regulam fuiſſe ad quam omnes ſuos dirigant dies, nec pudeat imitari licet aſſequi merito deſperent, haud negabit puto. Fuit ad fortunæ ictum & aleam paratus, ita vt cum Milciade in aduerſis conſtantiâ, in triſtibus cũ Æmilio lætitia, in lætis cum Valeriano moderatio, in cibo & potu cum Traiano, Antonino, Stephano Slauoniæ Rege parſimonia, in iudicio ferendo cum Cambiſe ac Daniele fortitudo, in pietate colenda cum Ludouico Galliæ, Stephano Vngariæ, Caſimiro Poloniæ, aſſiduitas, in morte deniq; viris cum pijs alacritas, nulli eſſet ignota. Viderunt omnes demerſum eum ac plane oppreſſum mole dolorum; ſine ſucco, ſine ſanguine, ſine colore, neque tamen in tanta doloris materia indoluit ipſe vnquam, aut animum deiecit humiliter, ſtante ſed vultu atque ſiccis oculis ſua ſpectans naufragia aduerſus rerum immiſerabilis vndis Marpeſia veluti cautes ſtetit immobilis, contraue omnem irruentium malorum impetum, armatum conſtantia oppoſuit pectus. Viderunt ampliſſimum in illo penetrale virtutum, Veſpaſianos vt clementes, Theodoſios vt faciles, Milciades vt conſtantes,

ſtantes, & quicquid vel dicendo, vel agendo, mortalem aſſequi fas eſt, totum hoc illi optato præ alijs reſpondiſſe ſucceſſu, viderunt. Quibus in recenſendis potius quam illuſtrandis fuſiora facerem ego verba, ſi Alexandrum aliquem Cicatrices toto corpore exceptas iactitantem laudarem, non Magnatem innumeris præclaris virtutibus mirabiliter inſignitum, Orationis meæ depingerem penicillo. Quare ſtabo iam ego; anima felix tua, quæ nondum ex hominibus receſſerat, & iam cum Deo erat, nondum cum corpore diuortium fecerat, & iam illud relinquebat, nondum mori poſſe deſierat, & iam æternitatem inchoarat, per calcatas Dæmonum ceruices, per affectuum turmas feliciſſimo conciſas Marte, per patentes laudum campos, immortalitatis conſcendat metam, nec non curru aureo lucentibuſq; quadrigis, inter conſita palmis virentibus nemora, lætiſſimo volitet curſu, vbi inter altos Olympi genios eius ſidus nullam patiatur Ecclypſim.

D I X I.